

**Machín de Aquena, Ambrosio Arzobispo de  
Cagliari (O. de F.)**

**Additiones ad predicta pro parte reuerendissimi  
patris Ambrosij Machin.**

[s.l.] : [s.n.], [ca. 1618].

Vol. encuadernado con 23 obras

Signatura: FEV-AV-G-00189 (19)

La obra reproducida forma parte de la colección de la Biblioteca del Banco de España y ha sido escaneada dentro de su proyecto de digitalización

<http://www.bde.es/bde/es/secciones/servicios/Profesionales/Biblioteca/Biblioteca.html>

Aviso legal

*Se permite la utilización total o parcial de esta copia digital para fines sin ánimo de lucro siempre y cuando se cite la fuente*



14  
19

# ADDITIONES AD PRAE-

dicta pro parte Reuerendissimi Patris

Ambrosij Machin.

*Et de ore eius gladius utraque parte acutus exhibat. Apoc. cap. i.*

**V**IA cernunt Iurisperiti partis contrariæ Vicariatum Generalē prædicti Ambrosij, imò & eius Generalatum ex nullo capite posse infringi, nāq; huc vacatio Generalatus per promotionem Patris Ribera sumatur ab eius renuntiatione facta in manibus Illustrissimi Nuntij die 22. Ianuarij anni 1618. siue à propositione & promotione Romæ facta ad Episcopatum Guadalaxaræ die 29. eiusdem mensis, vt constat ex relatione Pōtificis, in ipso metu Breui expedito in fauorem Patris Munuera, semper possessio prædicti Ambrosij in Vicariatu Generali præcessit datam seu expeditionem dicti Breuis, imò & vacatio Generalatus fuit ante quatuor menses à Constitutione Ordinis requisitos ad celebrationem Capituli Generalis in vigilia Pentecostes eiusdem anni, sicut celebratum fuit, atque adeò expirauit dictum Breue in dicta vigilia, quia illa clausula in eo contenta, *Visque ad nouam electionem Capituli Generalis iuxta statuta Ordinis celebrandam*, limitat tēpus ibi positum ad solos quatuor menses iuxta statuta Ordinis, vt liquidō constat *decisione Rotæ. 40.* Cernētes insuper electi nem prædicti Ambrosij in Magistrum Generalem nō posse labefactari propter subsequentem renuntiationem ipsius in manibus Illustrissimi Nuntij Caetani factam die 21. Iunij presentis anni, quia fuit vi, metu, ac minis facta, & extorta, vt patet ex eius protestatione facta coram publico Notario & testibus, die 18. Iunij, antecedente ad prædictam renuntiationem; ideo totum difficultatis nodum & scopū ponunt in infringēda electione prædicti Ambrosij in Priorēm Barchinonē. probare nitentes in illa fuisse labem simoniæ propter reciprocas renuntiations, & permutatiōnes officiorum inter Ambrosium & Papiol, vt inde ipsum incurrisse

incurrisse in pœnas simoniaci deducant, atque adeo non solum illam electionem Prioris fuisse nullam, sed etiam inhabilem mansisse ad electionem Generalatus.

Et quamvis in superiori explanatione circa locum Concilij Tridentini, & in alijs annotationibus, & informationibus in iure & in facto datis Illustrissimo Nuntio Gennino satis responsum sit & ostensum, ibi nec fuisse permutationes officiorum, quia prædictus Ambrosius Prioratum non a Papiol, sed à Conuentu per verā electionem, & suffragia secreta accepit, neq; renuntiationem prædicti Papiol fuisse vitiosam, quia facta fuit ad sedandas lites, & præminentia sui Conuentus procurandam & conseruandam.

Ex abundanti tamē, & vt omnis difficultatis nebula expellatur, addo, quod licet demus totum quod cōtrarij affirmant de illis correspondientibus, renuntiationibus, & permutationibus reciprocis præsumptis, ita vt inter prædictos Ambrosiū & Papiol intercessisset aliqua secreta cōuentio circa hoc (quod absolute falsum est, dato tamen & non cōcesso) adhuc dicendum est electionem prædicti Ambrosij in Priorem fuisse validam, neque habuisse nullitatem aliquā, vel labem seu notam simoniæ.

Hoc assertum patet ex positione celebriſ & receptissimi communiter fundamenti, quod nulla permutation rerū spiritualium inter se (& idem dicendum est de cessionibus in fauorem tertij conditionatis siue reciprocis, siue non) est illicita, neq; prohibita, neq; cōtinet aliquam labem simoniæ præterquam in beneficijs. Hanc tenet Sotus de iust. & iur. lib. 9. q. 5. in fin. Toletus lib. 5. cap. 28. Læsius lib. 2. cap. 35. dub. 4. in fine, & cōmuniter omnes. Probatur ratione, quia commutare spirituale pro spirituali, & cedere illud in fauorem tertij, etiam cum conditione reciproca, non est prohibitum iure diuino, alias nunquam liceret Pontifici dispensare in cōmutationibus beneficiorū, & in huiusmodi renuntiationibus, quod est falsum, & contra omnes Doctores, & praxim; ergo est tantum prohibitū de iure positivo Ecclesiastico; sed talis commutatio nunquam habetur prohibita in vlo iure, nisi tantum in beneficijs, vt patet ex cap. *quaesi*  
*tum*

*tum de rerum permutatione: vbi solum loquitur de beneficijs & præbendis; ergo quæcunq; alia commutatio rerum spiritualium inter se, sive quæcunq; renuntiatio, præter eā quæ fit in beneficijs, licita est, nec vlla in eis committitur simonia: sed officia religionum Prioris & Provincialis non sunt beneficia, vt constat; ergo commutatio, & cessio quæcunq; reciproca in illis non est illicita, nec simoniaca, quia non est prohibita.*

*Confirmatur, quia commutare alia spiritualia inter se, etiam altioris ordinis, non est simoniacum, neq; illicitum, v. g. audire confessionem Petri, vt Petrus audiat confessio nem meam, conferre illi Sacramentum Eucharistiæ, vt ipse conferat mihi, baptizare eum, vt baptizet me, conferre illi potestatem spiritualem, vt mihi eandem, vel aliam conferrat, orare pro illo, vt oret pro me; vt rectè notarunt Sotus & Toletus. Et ratio huius est, quia ad labem simoniæ non sufficit quæcunque pactio, & conuentio, sed vel ea in qua interuenit aliquod tēporale, quod detur pro spirituali, vel quæ precepto Ecclesiastico prohibita sit: sed in his commutationibus rerum spiritualium non interuenit primum, vt suppono, neq; secundum, quia in nullis alijs præterquam in beneficijs in toto iure reperitur talis prohibitio; ergo tales commutations & cessions, etiam respectuæ officiorum Religionis, quæ nullo modo sunt beneficia, non sunt simoniæ neq; illicitæ, quia non sunt prohibitæ.*

*Neq; obstat, quod huiusmodi officia Religionum non sint pure spiritualia, sicut ea de quibus loquuntur prædicti Autores, ex eo quod habent aliquid administrationis tēporalis admixtum, quia neq; ratione huius administrationis temporalis accedunt ad rationem beneficij; ergo neq; clauduntur sub prohibitione Ecclesiastica, qua permutatio & cessio in favorem tertij in solis beneficijs prohibentur, nō verò in alijs, eadem enim est utrobique ratio.*

*Sed contra obijcies primò cap. quæsitus 5. dicitur: *Pa-*  
*ctio circa spiritualia, vel spiritualibus connexa labem semper*  
*continet simoniæ. Et cap. vltimo de pactis: *Pactiones factæ pro**  
*quibusdam spiritualibus obtinendis, cùm in huiusmodi omnis pa-*  
*ctio, omnisq; conuentio debeat omnino cessare, nullius sunt mo-*  
*menti:**

menti: ergo etiam commutationes aliarum rerum spiritua-  
lium erunt simoniacæ, & illicitæ censendæ. Respondeo  
cū Læsio canones loqui vel de pactione, in qua interuenit  
aliquid temporale, quod detur pro spirituali, ut cap. vlt. de  
pactis, & cap. 2. quam pio. i. q. 2. vel de beneficijs, quorum  
permutatio & cessio conditionalis in fauorem tertij pro-  
pria autoritate facta est peculiariter prohibita, ut cap. que-  
sitū, & cap. cū olim: aliarū autem rerū spiritualium cōmuta-  
tio nusquā inuenitur prohibita, ut Toletus & Sotus prædi-  
ctis locis annotarunt, & ideò nō est illicita, nec simoniaca.

Obijcio secundò argumentū à simili, quia si permutatio-  
nes & cessiones in fauore tertij in beneficijs sunt prohibi-  
tæ, & ideò illicitæ, & simoniacæ; ergo idem erit in officijs  
& administrationibus Religionū, quia eadē videtur virtus-  
que ratio. Respondeo negando consequentiā, & paritatē;  
quia cū huiusmodi lex, & prohibitio sit poenalis, & odiosa,  
est restringēda ad sola beneficia, ad quæ fuit imposta, nō ve-  
ro amplianda ad alia, ad quæ licet potuisset imponi, non ta-  
men fuit de facto imposta. Rationē autē cur peculiariter  
fuerint præcepto Ecclesiastico interdictæ commutationes  
& cessiones in fauore tertij in beneficijs, existimo fuisse,  
quia cum beneficia sint iura percipiendi certos redditus ex  
bonis Ecclesiasticis, conueniens fuit in illis intercludi aditū  
ad huiusmodi permurations & cessiones sine licentia Epis-  
copi vel Pontificis faciendas, ut auaritiæ, usuris, & turpis lu-  
cri negotiationibus iteretur obuiam, ne Ecclesiastici in mer-  
catores conuersi quæstui studeret cōmutantes quotidie, &  
recabiantes, redditus Ecclesiasticos in auaritiæ materiā con-  
uertentes, quo Ecclesia Dei ex domo orationis fieret spelū  
calatronū: quæ ratio non militat in alijs officijs, & admini-  
strationibus etiā spiritualibus, quæ non sunt beneficia, nec  
in alijs rebus etiam purè spiritualibus, & ideo de illis Ponti-  
fices & canones nihil curarunt.

Ex quibus clare constat, etiā dato eo quod cōtrarij solis  
suis conjecturis & præsumptionibus intendunt, licet non  
concesso, nec Ambrosius, nec Papiol in labē simoniæ inci-  
derunt; ex nullo ergo capite deficit Vicarius Generalis,  
neq; electio Generalis Ambrosij. Salua, &c.

M. Fr. Ambrosius Machin Vic. Gen.